

AMPHIBIORUM ANIMALIUM

HISTORIA ZOOLOGICA

exhibens

A M P H I B I O R U M,

qui in

M U S E O

LAURENTII THEODORI

GRONOVII, J. U. D.

adservantur,

D E S C R I P T I O N E S

ordine systematico.

66. RANA manibus tetradactylis fissis, plantis hexadactylis palmatis, pollice longiore. *Linn. faun. succ. n. 250.*

Rana. *Jonst. quadr. tab. 75.*

Vulgare, frequens, & innoxium animal in fos-

sis, in sicco progrediens saliendo.

Belgis *Kikvors.*

67. RANA pedibus fissis, palmis tetradactylis, plantis hexadactylis, corpore laevi.

1. *Caput* a reliquo corpore indistinctum, latum, anticè obtuso-rotundatum.

2. *Os* in apice capitis angustum, edentulum. *Maxillae* aequales.

3. *Rostrum* vix prominens, acuminatum.

4. *Nares* utrinque in lateribus rostri parvulo foramine pertusae.

5. *Oculi* in antico capite, protuberantes, magni, palpebris instructi.

6. *Truncus* brevis, subovatus, crassus, superne convexus, subtus planus, alepidotus, laevis.

7. *Pedes* quatuor, brevissimi, crassi, quorum *anteriores* in quatuor digitos breves, acuminatos,

& inermes fissi. Horum *digitus primus* seu interior cum *secundo* eandem longitudinem obtinet, & *tertio*, qui longissimus, multo est brevior; *quartus* seu exterior omnium est brevissimus.

8. *Pedes posteriores* in sex digitos sunt fissi, qui acuminati, tenues, & inermes. Horum *pollex* seu *digitus interior* omnium est brevissimus, & *quintus* omnium longissimus.

9. *Color* in dorso, atque in infimo corpore est ex albido flavescens; in lateribus vero summis ex bruno variegatus.

10. Inhabitat Indiam Orientalem.

D. D. JANI NOORTBERGH.

TESTUDO. *Linn. Syst. nat. p. 37. Gen. 95.*

Corpus quadrupes, testa duriore immobili circumdatum, sub qua *Caput*, *Pedes*, *Cauda* quandoque abscondere potest.

Pedes quatuor, qui aut natatorii, aut cursorii sunt.

Cauda brevissima, conica.

68. TESTUDO pedibus natatoriis, unguibus acuminatis, palmarum plantarumque unico.

Testudinis marinae pullus alter. *Seb. thes. vol. 1. p. 127. tab. 79. fig. 5.*

1. *Caput* ovatum, superne convexum, versus anteriora valde productum, declive & angustatum; in lateribus planum.

2. *Rostrum* acuminato-rotundatum, inerme, osseum.

3. *Nares* in supremo rostro locatae, amplissimae.

4. *Oculi* ovati, maximi.

5. *Maxilla superior* inferiore multo longior, eamque omnino cingens.

6. *Dentes* proprie nulli, sed maxillarum margines ossei, ciliati.

7. *Collum* elongatum, capite tenuius, flexile, alepidotum.

8. *Truncus* ovatus, versus posteriora in acumen exiens, ab anteriore truncatus, clypeo ex squamis

majusculis, osseisque conflato undique tectus, cujus margines dentato-incisi. Dorsum in carinam convexo-acutam contrahitur. Squamae sunt convexo-planae, laeves.

9. *Abdomen* subtus scuto osseo, sed molliori, quam quo Dorsum instructum est, tegitur; tuberculis quatuor in medio insigne, versus anteriora & posteriora utrinque sinu magno exsculpto, e quo pedes emergunt, instructum.

10. *Pedes* horizontaliter plani, natatorii, indivisi, versus posteriora lobati: Horum *Anteriores* sunt praelongi & angusti, *Posteriores* vero breves, ovati. Utrique pedes unico acuminato ungue sunt armati.

11. *Cauda* brevissima, sub scuto dorsali recondita, conica.

12. Inhabitat mare sub zona torrida.

69. TESTUDO pedibus natatoriis, unguibus acuminatis, palmarum plantarumque binis.

Testudo unguibus utrinque binis acutis, squamis dorsu quinque gibbis. *Browne Jam. pag. 465.*

n. 3.

The sea Tortoise. *Edwards. hist. of. Birds. tab. 206.*

1. *Caput* ovatum, superne parum convexum, squa-

squamis polygonis & polymorphis tectum, versus anteriora vix productum, obtusiusculum; in lateribus est convexum.

2. *Oculi* maximi, protuberantes, versus anteriora spectantes, palpebris crassissimis rugosis & papillofis tecti.

3. *Rostrum* breve, acuminatum & aculeatum.

4. *Nares* in tuberculo elevato molli, in parte superiore rostri sito, locatae, utrinque unico rotundo magno foramine instructae.

5. *Maxilla inferior* superiore multo brevior, in apicem acuminatum & intortum abiens.

6. *Collum* crassum, cute laxa rugosa, & callosis squamis hic illic obsita, tectum.

7. *Truncus* ovalis, longior & angustior quam in praecedente, scuto ex squamis hexangularibus vel pentagonis conflato, undique circumdatus. Mar-

gines scuti sunt tenues & serrato-dentati.

8. *Abdomen* convexius quam in praecedente Specie.

9. *Squamae Dorsales* in medio sunt tuberculatae.

10. *Pedes* quatuor, horizontaliter plani, indivisi, natatorii, callosis squamis tecti.

11. *Pedes Anteriores* sunt maximi, oblongi, binis unguiculis in margine anteriore & crassiore instructi. Margines posteriores sunt admodum tenues & rectilinei.

12. *Pedes Posteriores* anterioribus, breviores & latiores oblongo-rotundi, binis unguiculis in margine anteriore & crassiore armati.

13. *Cauda* brevis, sed longior quam in praecedente.

14. Inhabitat mare sub Zona torrida Americam alluens.

70. **TESTUDO** pedibus cursoriis, unguibus acuminatis, palmarum plantarumque quinis.

1. *Caput* ovatum, antice acuminatum, superne convexum, plagioplateum, latum.

2. *Oculi* maximi, rotundati, palpebris tecti, in antico capite siti, sibi admodum approximati.

3. *Nares* utrinque minimo foramine instructae, in apice rostri sitae: Foramina invicem admodum sunt approximata.

4. *Rostrum* obtuso-acuminatum, parum productum, & ultra os prominens, osseum.

5. *Maxillae* osseae, edentulae.

6. *Maxilla superior* inferiore multo longior.

7. *Maxilla inferior* in apicem acuminatum & incurvatum desinit.

8. *Lingua* soluta, rotundata.

9. *Collum* latitudinem capitis parum tenuius, cute laxissima tectum, elongatum.

10. *Truncus* scuto fornicato, ovaliter rotundato, ex convexis, aequabilibus & latissimis ossibus squamis conflato, omnino circumdatus, sub quo pedes, collum, & caput abscondi possunt. Scutum subtus est planum, & latera sunt angustissima & in aciem integerrimam contracta.

11. *Pedes* quatuor, cursorii, breves, crassi, quinque acuminatis & incurvatis unguibus instructi.

12. Inhabitat Surinamam.